

QK. 529, 23

(X187 7378)

B. M. II



DE  
**BIBLIOTHECA**  
**PATRUM,**

PRÆSIDE

M. GEORGIO HENRICO *Böke* /  
Lipsiensi,

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

D. 4. Maji A.C. MDC LXXXVII.

H. L. Q. C.

*disputabit*

JOHANNES DAVID *Neubaur* /  
Curiensis, Bon. Art. Stud.

---

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPHORI FLEISCHERI.



*SUPREMI ELECTORALIS,*  
*quod Dresda est,*  
CONSISTORII ECCLE-  
SIASTICI,  
**PRÆSIDEM**  
EMINENTISSIMUM,

*Dominum suum Gratosissimum*  
*Ac reliquos Ejusd.*

**DNN. ASSESSORES**  
ac **SENATORES** longè  
gravisimos,

**THEOLOGOS SUMME RE-  
VERENDOS, JURECONSULTOS**  
**EXCELLENTISSIMOS,**

*Dominos Patronos & studiorum Promo-  
tores devotissimo honoris cultu prosequendos*

*Thesium harum Inscriptione veneratur*  
*Devotissimus*

**M. GEORGIUS HENRICUS Götz**  
Lipsiensis.



§. I.

**D**E *Bibliotheca Patrum*, juvante Deo, dum differere animus est, vix operæ pretium fore arbitror, ut prolixè admodum & sollicitè in ipsas voces, quæ neminem latent, inquiram.

§. II.

Constat enim unicuique vocem *Bibliothecam* græcæ esse originis & ex βιβλίον & θήκη componi, (observat hinc Jo. Lomeier in lib. de *Bibliothecis* p. 1. in antiquis lapidibus *Bybliotheca* & *Biblyotheca* vitiosè scribi) ac heic loci librorum denotare numerum. Quid verò aliàs hoc *Bibliothecæ* nomen significet, id evolvi potest apud citatum Lomeierum, A. Buchnerum in *Lex.* p. 39. & Car. Du Fresne *Glossar.* Part. 1. voce *Biblioth.*

§. III.

Nec ulli ignotum esse potest eos *Patrum* nomine salutari, qui olim in Scholis Theologicis in promovendâ Novi Testamenti Ecclesiâ operam suam ac diligentiam impenderunt ac propterea à posteris ob antiquitatem, eruditionem, sanctitatem ac zelum singularem *Patrum* titulo honorari. Inde verò famigeratissimum hoc *Patrum* Πατρῶν traxit originem suam, qui & olim *Papæ* fuerunt nominati, ceu ex *Sidonii* epistolis aliorumq; Scriptorum lectione satis est manifestum. Plura circa hanc materiam exhibent Jac. Götten in *observ.* L. 1. p. 18. seqq. Jo. Dicmann in *dissertat. hist.* 1. de *Vocis Papæ* etatibus §. 4. Witteb. 1671. impress. Gerb. Titius in *dissert. Helmst.* 1672. hab. de *Papâ* & *Papatu Romano* §. 1. Jo. Casp. Svi-

*cerus in Thes. Eccles. voce πῆπας p. 564. Jac. Lydius in florum  
sparsione, ad Histor. Pass. J. C. p. 8, 9.*

§. IV.

Notat itaq̄ve *Bibliotheca Patrum* complexum omnium  
librorum, qui vel ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus sunt con-  
scripti, vel sub eorum nomine circumferuntur.

§. V.

Cognomento autem *Magna* dicitur, quò eò melius di-  
stingvi possit à reliquis Patrum scriptis, quæ itidem conjun-  
ctim sunt edita. Sic præter *Μικροπρεσβυτικόν*, quod anti-  
quorum Ecclesiæ Doctorum scripta, nullâ temporum habi-  
tâ ratione, exhibet ac *Basileæ 1550.* typis exscriptum est, ha-  
bentur *Monumenta Patrum Orthodoxographa*, quæ veteres  
Græcos pariter atq̄ve Latinos sincerioris fidei Doctores nu-  
mero circiter LXXV. vel LXXVI. complectuntur, & pro-  
dierunt *Basileæ M D. LV.* curâ *Joannis Heroldi, Acropolitani*,  
Viri præstantissimi & ob varia eruditionis specimina valdè  
celebris, cujus vitam & scripta recensent *Martinus Hankius*  
*in P. 2. de Rom. Rer. Scriptor. p. 142.* & *Antonius Teisserius in Ca-*  
*talogo Auctorum, Genevæ 1686. impressò, p. 183.* Isti verò scri-  
ptores, ut observat *Job. And. Bosius in Schedias. Histor. de*  
*comparandâ Notitiâ Script. Eccles. p. 62.* in classes & tomos  
VII. sunt distributi, Epistolarum scilicet, historiarum sacra-  
rum, gnomologiarum, exegeticorum, dogmaticorum, apo-  
logeticorum &c. pleriq̄ve tamen horum falsum nomen  
mentiuntur, ut *Abgari* Epistola ad Christum & *Christi* ad il-  
lam responsio, *Jacobi* Protevangelium, *Testamentum XII*  
*Patriarcharum*, vid. *Jo. Hoornbeek in Miscell. Sacr. p. 12.* qui ab  
eruditis supposititiis annumerari solent. Deinde iterum il-  
la *orthodoxographa* ampliora inq̄ve duos tomos redacta  
publicata sunt *ibidem* juxta *Bosium* l. c. A. 1569. vel juxta  
*Hoornbeek* l. c. A. 1559. Insimul opuscula quædam sacrorum  
scri-

scriptorum *Hæresiologica Basileæ 1556.* sunt impressa. Con-  
scripsit quoque *Henricus Canisius*, J. C. tus & in Academia In-  
golstadiensi Canonum Professor Ordinarius, antiquarum  
Lectio- num sex Tomos, in quibus varia priscorum docto-  
rum monumenta, mediæ præsertim ætatis, nunquam antea  
evulgata, pleraque cum observationibus, continentur, *In-*  
*golstadii, 4, in Typographiâ Ederianâ, apud Andream Anger-*  
*marium, annis 1601, 1602, 1603, 1604.* Catalogum scripto-  
rum præter *Anton. Possevinum in Appar. S.* exhibet *P. Labbeus*  
*in Supplemento Speciminis Antiquarum Lectio- num, sive Biblio-*  
*thecæ MSS. Libr. p. 152. seqq.*

§. VI.

Sed circa hanc rem valdè prolixus esse nolo, cum  
speciatim *Patrum Bibliotheca* mihi sit consideranda. (De  
reliquis Patrum scriptis, quæ itidem conjunctim sunt edita,  
evolvi potest *F. Casimirus Oudin*, Presbyter Veteris Instituti  
Ordinis Præmonstratensis in præfat. *Supplementi de Scriptis*  
*Ecclesiasticis à Bellarmino omissis.*) Variis autem in locis ac  
diversis temporibus in lucem publicam magnis ac non con-  
temnendis sumtibus est emissa.

§. VII.

Primam ejus editionem adornavit *Margarinus de la*  
*Bigne*, vel ut *Bosio l. c. & G. M. Königio in Bibl. Vet. & Nov.* au-  
dit, *Bignæus*, gente Gallus, domo Cænomanensis, Illustris  
Sorbonæ, quæ Parisiis floret, Doctor ac Theologus, qui al-  
lectus maximè & irritatus tam Orthodoxographis Patrum,  
quam Centuriis Magdeburgensibus, opus istud emittendi  
publicè est aggressus. Continet autem prima editio, quæ  
*Parisiis 1576.* per *Michaëlem Sonnium* facta est, Sanctorum Pa-  
trum supra ducentos de rebus divinis opera & fragmenta,  
Epistolarum scilicet, Historiarum, Moralium, Liturgiarum,  
Disputationum adversus hæreses, Commentariorum, Ho-  
milia-

miliarum, Poematumque sacrorum, quæ partim hæcenus nunquam, partim ita, ut rarò jam extent, sunt excusa, & octo Tomis absolvitur. Inscripta eam moreque majorum recepto consecravit Gregorio XIII. & Henrico III. qui eâ ætate ad Ecclesiæ & Reipublicæ gubernacula sedebant, illi ut Judici, huic ut Mecænati. Sed quàm turpiter miserrimus hic gnatho sese dederit omnibus, dum ita vehementer Papæ suo est adulatus, ex sequentibus verbis, quorum copiam mihi fecit cit. *Hoornbeek l. c. p. 13*, optimè cognosci potest. *Sed Te, (sic graviter loquitur) unum respicio Pontificem, qui scias & possis compati infirmitatibus meis tentatus per omnia pro similitudine. Itaque adeo cum fiducia ad thronum gratiæ tuæ, ut misericordiam consequar, & inveniam apud Te gratiam in auxilio opportuno in nomine Christi Jesu.*

§. VIII.

Primam hanc editionem triennio post excepit *appendix*, ab eodem authore superaddita, complectens opuscula nonnulla & fragmenta vel primùm edita, vel ex Manuscriptis excerpta Codicibus, vel meliori elegantiori que formâ edita atque illustrata, *Parisii, A. 1579.*

§. IX.

*Secundam* editionem auctiorem splendidiorumque exhibuit A. 1589. *Novem Tomis*, ubi in præfatione haud leviter in eos animadvertit, qui moderatiùs sentiunt de Papatu, cujus insignis fautor erat atque admirator, & erga alios æquiores sunt benignioresque. Hujus *secundæ* editionis Tomo *quarto* inserta est Roberti Sorbonæ S. Ludovici Regis Galliarum Pœnitentiarii vita à Margarino de la Bigne descripta, teste *Teifferio l. c. p. 232.* Auctarium illius editionis *duobus* voluminibus anno 1610. prodiisse notavit *Bosius l. c. p. 62.* in quo leguntur tum Doctorum scripta, qui de divinis Catholicæ Ecclesiæ officiis & mysteriis sunt commentati, tum  
alia,

alia, quæ à *Canisio* in *Tomis* antiquæ lectionis sunt publica-  
ta. De hæc *secunda* *Bignii* editione *Eruditorum delictum*,  
*Josephus Scaliger* in *Epistolâ ad Job. Lydium*, Virum doctissi-  
mum & libello de *Conciliis 1610.* edito, non ignotum, quæ l. 3.  
*Epist. CCXC.* extat, ita judicat: *Ego mihi illam ἡμετέραν Bi-*  
*bliothecam Patrum, Parisiis ante paucos annos editam, compa-*  
*rassem: verum tot tantisque quisquiliis scatet, tot ineptorum au-*  
*ctorum impensa facta est, ut illa deformitas me ab eâ avertit.*  
*Itaque selectos Patres seorsim excusos malo mihi conquirere, quam*  
*cum illis οὐβὰ λα converterre.* Reservatur hujus Bibliothecæ  
*Secunda* editio in clarissima Bibliothecâ, quæ ad *primarium*  
*B. Mar. Virg.* templum est, *Halæ*, ap. plur. Rev. Dn. *Jo. Godofr.*  
*Olearium*, de cujus favore mihi impensè gratulor, in præfat.  
*Abaci Patrologici.*

§. X.

Post *Bignium Tertia* editio procurata est *Parisiis A.*  
*1609*, cui, observante prænominato *Hoornbeekio l. c. p. 14.* ge-  
minum in fine additum est auctarium, quorum primum ex-  
hibet *Tomum illum de officiis divinis operâ Melchioris Hit-*  
*torpii* collectum, impressumque tum *Colonia*, tum *Romæ*, qui  
cum *Tertiâ* Bibliothecæ editione *Parisiensi* atque etiam se-  
orsim ab illa Bibliotheca comparari potest. Alterum sistit  
varios *Commentatores* in *Script. Sacram*, cum hæreticis  
dissertationes, liturgias atque epistolas.

§. XI.

*Coloniæ Agrippinæ A. 1618.* *Quarta* editio impressa  
est & *octodecim Tomos* observante *Bosio l. c.* notante verò  
*Hoornbeekio l. c. quatuordecim* tantum complectitur; Diver-  
sa verò est editio hæc à reliquis, quæ divulgatæ hætenus  
sunt, quod non in certas classes scriptores exhibeat digestos,  
sed à primo statim seculo per singula *Ecclesiæ secula* decur-  
rat. Variis autem in locis à *Theologis Coloniensibus* est aucta,  
utilis-

utilissimisq̄ve observationibus referta. Circa quam Colo-  
nienfem editionem legi meretur *Hoornbeek l. c.* graviter &  
accuratè scribens: *Non quidem omninò contemnendum hoc*  
*Bibliothecæ hujus opus est, continet enim Patrum etiam nonnul-*  
*lorum opuscula & scripta: Sed cum judicio multò legendum,*  
*postquàm magno sumptu comparatum fuerit: & in Coloniensi*  
*præsertim editione recentiora multa habentur, brevioraq̄ illa,*  
*quæ aliq̄vi facillè excidunt, & juxta ætatum seriem cum anno-*  
*tationibus aliquando in Autores scriptaq̄. Cum judicio legen-*  
*da illa, quia multa supposititia, & omnia in præjudicium, & ad*  
*opinionem Papatus, si quæ fieri potest, confirmandas, comporta-*  
*ta pertractataq̄, apparent.*

§. XII.

*Quintam editionem, Fronto Ducæus, ob insignem eru-*  
*ditionem & varias Patrum Editiones publicatas (de quibus*  
*videndi sunt Jo. Henr. Hottingerus in Bibliothecario quadri-*  
*partito passim & Matth. Zimmermannus in diatrib. de Erudi-*  
*tione eleganti comparandâ p. 35. Florilegio suo Philologico-Histo-*  
*rico præmissâ) clarissimus vir luci publicæ exposuit Parisiis*  
*1624. eamq̄ve præter egregiam multorum librorum acces-*  
*sionem, duobus Tomis Græco Latinis adauxit.*

§. XIII.

*Sexta, quæ Morelliana dicitur, comprehendit Scri-*  
*ptores quamplurimos Græcos pariter atq̄ve Latinos, qui de-*  
*siderabantur in præcedentibus atq̄ve ex Coloniensi Biblio-*  
*thecâ, ut Teisserius l. c. p. 232. monet, & aliundè eò fuere*  
*translati, sed ordine tumultuario atq̄ve cum plurimis erra-*  
*tis, cui addidit Auctarium Bibliothecæ Græco-Latinæ S. S.*  
*Patrum Franciscus Combefis, Ordinis F. F. Prædicatorum in*  
*Conventu S. Mariæ Annunciatae Parisiensis Congregatio-*  
*nis S. Ludovici, duobus Tomis excusum Parisiis apud Anto-*  
*nium Bertier anno 1648.*

§. XIV.



§. XIV.

Editionem Parisiensem Græco-Latinam, quam *Septimam* voco, & Lutetiæ 1654. impressam, ignoravit *Bosius l.c.* inde obelisco notatus est à Dn. *Severino Walthero Slütero in propyleo Historiæ Christianæ p. 69.* Prodiit autem anno jam nominato & *Decem ac Septem Tomos* complectitur.

§. XV.

*Octavam* editionem, quæ ultima est hætenus, divulgant Fratres *Anissoniani Lugduni* in Galliâ A. 1677. & 27. voluminibus continetur. De qua editione, quæ *centum* ferme novis autoribus denuò ornata est atque amplificata, quid sentiendum sit, fusè atque eruditè docuit Vir celeberrimus & ob venerandam senectutem, eruditionem raram, præclara in rem literariam merita nunquam non celebrandus, *Christianus Daumius*, in præfatione ad Lectorem Hieronymi, vetusti Patris, disputationi, ad institutionem Christianorum, præmissa & *Cygnæ* 1680. edita, egregiè eam laudans quod varii autores, qui in Coloniensi Bibliothecâ non reperiuntur, Lugdunensi accesserint. In eoverò taxat eam atque reprehendit, quod permulti scriptores fuerint omissi atque unus scriptor, *Evagrius* putà, T. 5. & 27. bis fuerit positus. Quod ipsum pluribus in eleganti istâ præfatione deduxit, è qua nonnulla hic adduci possent, nisi clarissimus Theologus atque Philologus *Matthias Zimmermannus* in diatr. de *Eleganti Eruditione comparanda*, p. 38. seqq. quæ cum *Florilegio* ejusdem *Philologico-Historico* mihi jamjam offertur, labore hoc esset defunctus. Non perdam tamen omnem operam, si judicium, quod laudatus autor de hæc Editione ad modum rectè dedit, hæc subjungam. *Quicquid sit*, ita scribit, *debetur tamen huic novissimæ editioni etiam laus sua, vel inter alias, quod non tantum centum illis supra memoratis auctoribus locupletata fuerit, verum & meliores e-*

B

ditio-

XIV.

ditiones, quales inprimis à Sermondo, post Coloniensium laborem, prodiere, corruptarum aut imperfectarum loco substituerit. Nominabo ergò in præsentis scriptores istos, qui in nova Lugdunensium Editione leguntur.

§. XVI.

Sic Tomo II. (*Primus enim Tomus complectitur quatuor Indices, Chronologicum scilicet, Alphabeticum, Classicum & Rerum*) inserta sunt scripta Patrum sec. I. *Barnabæ* epistola, sec. 2. *Irenæi* Opera. Tom. III. Sec. 3. *Clementis Alexandrini, & Isaaci* Liber fidei de Trinitate & Incarnatione. T. IV. *Eusebii Pamphili* opuscula. T. V. sec. IV. *Severiani* in vivificam crucem. T. VII. sec. V. *Leporii, Capreoli, Anonymi* Breviarium adversus Arianos. *Idatii* Chronicon. T. X. sec. 6. *Facundi* Episc. Hermiacensis, T. XI. sec. 6. *Fregedarii* Scholastici. *Cassiodori*, T. XII. sec. 7. *Ailerani* Sco-To Hiberni, *Cumeani* Abbatis Sco To Hiberni, *Eulogii* in diem Palmarum & in pullum Asini, *Georgii* Metropolitæ orationes, *Jacobi* Monachi oratio in Nativ. Mariæ, *Demetrii* Metropolitanæ de Jacobitariorum & Chatzitariorum hæresi, *Anonymi* de rectâ fide Armenorum, *Johannis Archiepiscopi* de Nativ. Domini, *Joannis Archiepiscopi Thessal.* in mulieres ungenta ferentes. *Gregorii Episc. Antiocheni* in mulieres ungentiferas. *Anastasio Bibliothecarii* Sedis Apostolicæ Collectanea. *Johannis Papæ IV. S. Theodori Papæ. S. Martini Papæ. Anonymi* cujusdam commemoratio eorum, quæ facta sunt in S. Martinum Papam. *Anonymi* relatio factæ motionis in Maximum. *Anonymi* relatio de dogmatibus, quæ mota sunt inter Maximum Abbatem & Theodorum Episc. Cæsariæ. *Anastasio* S. R. E. Apocrifarii. *Theodosii & Theodori* scholion de ejusdem Anastasio & aliorum certaminibus. *Incerti* auctoris de dominicâ imagine in Chalcooprataeis. *Zachariæ* Patriarchæ Hierosolymitani epistola. *Incerti* de Persicâ captivi-

ptivitate. *Incerti* Encomium in depositionem pretiosæ Zo-  
næ Dei genitricis. *S. Leandri Hispalensis* regula, seu de Insti-  
tutione Virginum & contemptu Mundi. T. XIII. sec. 8. *Expo-  
sicio Missæ* ex vett. Codd. *Incerti* narratio de miraculo, quod  
contingit tempore, quo Persæ urbem CPolin obsederunt. T.  
XIV. sec. 9. *Michaëlis Sincelli* Laudatio in sanctos Dei Ange-  
los & universas cœlestes virtutes. *Amulonis* Archi-Episc.  
Lugd. epistolæ & opera. *Naucratii* epistola Encyclica de  
obitu S. Theodori Studitæ. T. XV. sec. 9. *Ratramni* sive *Ber-  
trami* de Prædestinatione Dei. *S. Prudentis Episcopi Tricasini*  
de Prædestinatione Dei contra Scotum seu Erigenum & a-  
lia opuscula. T. XVI. sec. 9. *Luitberti* ArchiEpiscopi Mo-  
guntini Epist. ad Ludovic. Regem item varia variorum alio-  
rum Epistolæ. *Smaragdi* Abbatis Diadema Monachorum.  
T. XVII. sec. 10. *Auxilii* de Ordinationibus à Formoso Papa  
factis. T. XIX. sec. 11. *Hugonis* Episc. Lingonens. de corpo-  
re & sanguine Christi contra Berengarium. *De Oduini* Leo-  
diensis Episcopi de corpore & sanguine Christi contra Bru-  
nonem & Berengarium. *Incerti* autoris de Berengarianæ  
hæreseos multiplici damnatione. *Victoris Tertii Rom. Ponti-  
ficis* de Miraculis à S. Benedicto & aliis Monachis in Cassi-  
nensi monasterio & alibi factis. T. XIX. sec. 12. *Eutychimii*  
Monachi Zigabeni Opera. T. XX. sec. 12. *Isaaci Catholicorum* ora-  
tio in vectiva in Armenios. *S. Brunonis* in Astensis, Signien-  
sium Episcopi Opera. *Gvilielmi de Campellis* Episcopi Cata-  
launiensis dialogus inter Christianum & Judæum de fide  
Catholicâ. T. XXI. sec. 12. *S. Norberti Ordinis Præmonstraten-  
sis* sermo exhortatorius ad Fratres. *Petri Diaconi* Monachi  
Cassinensis Opusculum de Viris Illustribus Cassinensibus,  
accessit appendix *Placidi* Diaconi Cassinensis. T. XXII, sec. 12.  
*Hugonis ArchiEpiscopi Rothomagensis* dogmatum fidei contra  
hæreticos sui temporis lib. 3. T. XXII. sec. 12. *Anonymi* liber

contra errores Folmari T. XXIV. sec. 12. *Gvigionis Prioris*  
*Cartbusie* liber de *Quadripartito* exercitio Cellæ. *Bernardi*  
*Cartbusiensis* Epistolæ tres ad vitam religiosam exhortantes.  
*Joannis Cartbusiensis* Epistolæ. *Stephani Cartbusiensis* Epi-  
stola ad Monachos S. Sulpitii Ord. Cisterciensis de Perse-  
verantia Ordinis. *Alexandri Papæ III.* Epistola ad Arthlan-  
dum de schismate illius temporis. *Erbrardi* liber contra  
Waldenses. *Bernardus Abbas fontis calidi* adversus Walden-  
ses. *Ermengardus* contra Waldensium sectam. T. XXV.  
sec. 13. *Humberti* Ord. Prædicat. Generalis de eruditione  
Prædicatorum lib. II. Item expositio super Regulam S. Au-  
gustini & alia opuscula. *S. Petri Cœlestini Papæ V.* opuscula o-  
mnia. *Ptolomæi Lucensis Episc.* Torcellensis Anna. T. XXVI.  
sec. 14. *Georgii Palanæ* Archiepiscopi Thessal. liber, qui in-  
scribitur, *Prosopopoeia*, It. Orationes duæ in Transfigura-  
tionem Dominicam. T. XXVI. sec. 15. *Manuelis II. Paleolo-*  
*gi* Imperatoris oratio funebris in proprium fratrem defun-  
ctum, ab ipso pronunciata. *Demetrii Cydonis* orationes duæ.  
*Bessarionis* Patriarchæ Constantinop. Tr. de Sacramento  
Eucharistiæ. T. XXVII. sec. 16. *Hippolytus Episc. Portuensis*  
& Martyr de Christo & Anti-Christo. Item de *Sufannâ*.  
*Commodiani* Instructiones adversus gentium Deos pro Chri-  
stianâ religione. *S. Eustatbii Archiepiscopi Antioch.* Com-  
mentarius in *Hexaëmeron*, Item de *Engastrimytho* cum  
originis de eadem *Engastrimytho*. *S. Damasi Papæ* opera.  
*Severiani* Gabalorum Episcopi de mundi creatione Oration-  
es sex. *Manii Mercatoris* Ecclesiæ Doctoris acta. *Theodoti*  
Episc. Ancyrani Expositio in Symb. Nicænum. *S. Arsenii*  
Magni doctrina & exhortatio. *S. Eucherii* exhortatio ad  
Monachos, item sententia ad eosdem. *S. Nili* Abbatis opus-  
cula varia. *S. Cesarii* Episcopi Arelatensis opuscula varia.  
*S. Fulgentii* Episcopi Ruspensis Responsio ad Interrogat. Sca-  
rifa

risæ de Myſterio Incarnat. & de vilium animalculorum au-  
 thore. *Eustratii* Presbyteri contra eos, qui dicunt animas è  
 corpore solutas non operari. *Niceta Paphlagonis* orationes  
 17. Encomiaſtica & alia quædam feſtiva. *Anselmi* Episco-  
 pi Lucenſis nova opuscula. *Alexandri Licopolitæ* Tractatus  
 contra Manichæos. *B. Hyperechii* Presbyteri adhortatio ad  
 religioſam palæſtram exercentem. *Evagrii* Monachi in-  
 certæ ætatis, ſententiæ ad eos, qui in Cœnobiis & Xenodo-  
 chiis habitant, item ſententiæ ad virgines. *Jo. Geometræ*  
 Hymni I V. in virginem Deiparam. It. Paradifus Tetraſt.  
 moralium & piorum. *Martini de Lunduno* Carthuſienſis  
 Epiftoſa ſacra & exhortatoria, ex meris Scripturæ Sacræ lo-  
 cis contexta. *Anonymi cujuſdam*, ſub nomine Rufini Presby-  
 teri Palæſtinæ liber de fide. *Anonymi cujuſdam* ſub Prædeſti-  
 nati nomine lib. 3. de hæreſibus cum refutatione Libri S. Au-  
 guſtino temere adſcripti. *Incerti cujuſdam* in rem animi u-  
 tilis narratio.

§. XVII.

Hi ſunt autores iſti, quos recens tenet Editio Patrum  
 Bibliothecæ, eos verò ex obſervationibus clariffimi *Daumii*  
 & qui ex eo deſumpſit, *Zimmermanni*, heic adnotare volui,  
 adjeci verò hiſ inſimul atque indicavi ipſos *Tomos*, in quibus  
 iſti ſcriptores evolvi poſſunt, quo in eo meliorem & accura-  
 tiorẽ eorum notitiã perveniendi detur facultas. Re-  
 ſtaret nunc, ut eorum Patrum nomina conſignarem literis,  
 quorum doctiſſima monumenta omiſſa planè ſunt atque ne-  
 glecta; Attamen cum præclarè id ipſum & laudabiliter ve-  
 nerandus Philologus *Dn. Daumius* præſtiterit, *Ejuſq; doctiſſi-  
 mæ* Notæ in *Dn. Zimmermanni* laudatâ diatribâ de Eleganti  
 Eruditione comparanda p. 40. ſeqq. exhibeantur, omnium-  
 que in manibus nunc, præſtantiffimi hujus Viri operâ, cui &  
 eo nomine debitæ perſolvendæ ſunt gratiæ, verſentur, ite-  
 rum iterumq; eas repetere nolo.

§. XVIII.

## §. XVIII.

Benevolos autem Lectores (invidos enim non curo) enixè rogatos volo atque cupio, ut conatus hos qualesquales æqviboniqve consulant, ferenâqve, quod dicitur, fronte, laborem hunc respiciant. Admittam libenter Doctorum censuram, qui placidè modesteq; commissos errores ostenderit, nec tam ero morosus, ut Erratorum patrocinium temere in me suscipiam. Errant enim Viri magni & eruditione præstantes, cum quibus nonnunquam labi gloriæ est; præsertim vero cum in Historiæ studio admittantur non rarò errores in vitis etiam Autoribus. *Augustum nomen Eruditionis (Historico-Ecclesiasticæ) est, verba sunt Matth. Zimmermanni l. c. p. 1. quæ haud incongruè hic applicari possunt, culmen non omnibus accessu proclive, impervium est, an fractus habet multos, recessus infinitos, profundos, salebrosos, arduum hoc, crede, iter est.* Commendanda vero est Patrum Bibliotheca semper iis, qui Ecclesiasticæ Historiæ studio utilissimo & amœnissimo operam impendere gestiunt. Hujus enim lectione (si suppositia & falsa scripta eximantur) non parum utilitatis in Lectores redundat atq; commodi, ita ut diligens hæc lectio & solida *medicinæ* loco studiis esse possit. Quamobrem non immeritò frontispicio *Bibliothecæ Patrum* hanc Inscriptionem ponendam esse arbitror, quæ in fronte Bibliothecæ *Thoruniensis Borussorum* (à Jo. Lomeiero de *Biblioth. p. 321.* celebratæ) ita legitur.

Sic morbos animi Bibliotheca levat!

### COROLLARIA.

I. **N**icodemi Evangelium spurium esse scriptum ipse *Franciscus Collius Tr. de sanguine Christi l. 4. disp. 1. c. 4. p. 501.* ob varios errores atque multiplicem rerum materiam, quæ inibi perverso ordine recensentur, non diffitetur; hinc *p. 663. l. c.* sequentia emittit verba: *Absit ut vel per exiguam fidem præ-*

*præstemus iis, quæ in Apocrypho B. Nicodemi Evangelio narrantur.*

2. Haud abs re *Athanasius Kircherus Chin. Illustrat. P. 4. c. XI. f. 209.* de Alchymistis Europæis pronunciavit; quod horum scopus sit, splendide mentiri & plus æquo credulos avarosq; istiusmodi officiiis fallere & dementare.

3. Absurda sunt ac impia planè, quæ pessimus Epicureorum, *Celsus*, est commentus; Christianos credere fontes calidos ex malorum Angelorum lacrymis oriri. *Vid. Orig. contra Cels. l. 5. p. 266. & 268.*

4. Parùm accuratè *Petrus Gassendus in Vita Peirescii p. 245.* statuit, Cometas nihil portendere, & imbecillitatis humanæ argumentum esse, ad ista expavescere, quibus cum res nostræ nihil habent commercii.

5. Rectè observat *Antonius Borremansius in Vesperis Gorinchemensibus c. 1. p. 17.* hymnum istum de Trifagio ex *Es. VI.* petitum falso *Johanni Chryostomo* ascribi.

6. Defendi planè non potest, quod apud *Joann. Prideaux in Oper. Theol. p. 709.* legitur, Apostolos celebrasse olim concilium, in quo symbolum, quod dicitur, Apostolicum, à congregatis Apostolis unoquoque suum articulum conferente esset confectum.

7. Patientia necessarium & utilissimum est calumniarum remedium.

8. Invidia præstat misericordiâ.

---

*Ad Præstantissimum Dn. Respondentem.*

**B**ibliotheca Patrum Juveni Tibi per placet: ast Vir  
Bibliotheca loquens ipse eris atque Pater.

*Gratulatio & Votum*

**D. VAL. ALBERTI.**

---

**E**rrores quisquis Patrum cupit ore tueri,  
Semper & antiquum, quod docet, esse crepat,

*Ille*

OX  
Ti  
2002

*Ille Novatorum reliquos dum nomine carpit,  
In Veteratorum classe locandus erit.  
Quippe sagena Patrum mihi bibliotheca videtur,  
Pisces illa bonos continet atq; malos.  
Addere plura nefas. Tua nunc industria monstrat  
Neubauere satis, quale sit illud opus,  
In studiis sic perge tuis, & viva bonorum  
Evades olim bibliotheca Patrum.*

Præstantiss. Dn. Respondenti gratul. scripsit.  
L. Thomas Ittigius, ad D. Nic. Archid.

---

**B**IBLIOTHECA PATRUM quoties sit cernere lucem  
Jussa & qua curâ, dulcis Amice, doces.  
Dignus laude labor cedat feliciter! Olim  
VIVA ut dicaris BIBLIOTHECA PATRUM!

*Hoc voto & omine PræExim. Clareq; Docto DN. NEUBAUERO,  
Fautori, Amico & Auditori S. longè æstumatiss. de  
BIBLIOTHECA PATRUM disputanti adplaudit*

L. Gottlob Fridericus Seligmann.

---

**B**ibliotheca Patrum facili pervolvitur ore  
Quod Musæ ac Charites perpolière Tibi.  
Gratulor hos ausus! Placidus Tibi rideat æther,  
Viva Patrum ut quondam Bibliotheca cluas.

*Ita pereximio Domino Respondenti, de egregio  
Eruditionis specimine, gratulatur*

M. Erhardus Müllerus.

---

**D**isleris egregiè Veterum de Bibliotheca,  
Omnibus ostendens, quæ tua Musa sciat.  
Ergò de portes laurum, quam nescit Apollo.  
Hæc studii merces, en! tua Fama canit!

*Sic Suo Oresti gratulabundus applaudebat  
Georg. Henr. Lieb/ SS. Theol. Stud.*

---


**I**N Patrum cathedra, quæ antiquâ laude coruscat,  
Docta manus libros scriptaq; clara tenet.  
Cur non perpetuæ laudis tibi præmia quæras?  
Quid? minimè quæris: quid cupis, ecce! capis!

Georgius Ernestus Bachrott/ SS. Theol. Stud.


••(o)••



Do  
TI  
VE  
D  
P  
C  
S



**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000  
**Kodak** LICENSED PRODUCT  
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



CTORALIS,  
st,  
I ECCLE-  
CI,  
**DEM**  
SIMUM,  
*osissimum*  
d.  
**SSORES**  
E S longè  
**UMME RE-**  
**CONSULTOS**  
SSIMOS,  
*udiorum Promo-*  
*tu prosequendos*  
*ne veneratur*  
**RICUS Göbel**

ne  
eff  
Lo  
th  
no  
me  
Bl  
Bl  
tar  
Te  
ru  
fa  
In  
gi  
ni  
stu  
ob  
Pa  
Ho

